

Distilla ex retorta fictili, vel vitrea loricata, ignem sensim augendo, donec nihil amplius ascendat. Oleum à Liquore Volatili per chartam bibulam, prius aqua madefactam, ope infundibuli separa, et ex aqua rectifica. Acidum concretum in collo retortae cum duplo Aquae distillatae pondere coque, et repone, ut fiant crystalli. Acidum Liquidum etiam per evaporationem crystallizatur.

Dosis Acidi Liquidì à semiscrupulo ad semidrachmam. Acidi Crystallysati à granis decem ad grana viginti. Olei à guttis quatuor ad guttas octo.

CAPUT XXXVII.

LIQUORES SALINI.

POTASSA LIQUIDA PURA seu CAUSTICA.

(Oleum Tartari per deliquium.)

℞. Potassae Purae seu Causticae uncias duas,
Aquae distillatae unciam unam.

Dissolve, et filtra.

Alio modo fieri potest

Calcis vivae recentis libras quatuor,
Carbonatis Potassae Communis libras duas,
Aquaе fontis libras viginti.

Fiat lixivium S. A. ut in Sapone Medici-
nali diximus, coque ad dimidias; iterumque
filtra ad carbonatem calcareum separandum,
vapore ad consistentiam syrupi tenuius, vel
usque vas uncia una aquae distillatae reple-
tum, drachmas novem hujus liquoris capiat.

POTASSA FERRUGINOSA LIQUIDA.

(*Tinctura Elastica.*)

Vide Praeparata ex Ferro, pag. 349.

AMMONIACUM LIQUIDUM.

(*Alkali Volatile Fluidum, seu Spiritus Salis
Ammoniaci Urinosus.*)

℞. Muriatis Ammoniaci libram unam,
Calcis pridie cum Aqua pauxillo extinctae
libram unam, et semis.

Seorsim pulverata immitte alternatim in
retortam vitream, permisce, et affunde sen-

tt 2

sim Aquae purae libram unam, et semis, saepius agitando. Adapta receptaculum amplum, in quod antea immiseris Aquae Distillate uncias sex, et juncturas claude micâ panis cum aqua subactâ. Leni igne ex arena, foraminulum receptaculi aliquoties sub initium distillationis reserando, ne vasa disrumpantur, distilla donec liquoris uncias decem, aut undecim obtinueris. Vasis refrigeratis liquorem distillatum cautè per infundibulum in phialam vitream angustioris colli effunde, quam exactissimè obtura.

Dosis à scrupulo ad drachmam.

CARBONAS AMMONIACI C. C. LIQUIDUS.

(Spiritus Cornu Cervi.)

R̄. Cornu Cervi in frustula disecti Q. V.

Imple retortam, et distilla S. A. ut in Carbonate Ammoniacali C. C. Crystallizati diximus; Liquorem ab Oleo per infundibulum vitreum separatum mitte in retortam vitream, igne arenae distilla in excipulo ad sicci-

tatem, et in vase obturato ad usum serva.

Dosis ad drachmam.

SUCCINAS AMMONIACI LIQUIDUS.

(Spiritus C. C. Succinatus.)

Rx. Carbonatis Ammoniaci Liquidi C. C. Q. V.

In phialam vitream immisso affunde paulatim

Acidi Succinici Cristallizati in mortario vitreo pulverati Q. S. ad perfectam saturationem.

Dosis à guttis quatuor ad guttas duodecim.

ACETAS AMMONIACI LIQUIDUS.

(Spiritus Mindereri.)

Rx. Ammoniaci Liquidi Q. V.

Paulatim instilla in phiala vitrea subinde agitando, Acidi Acetosi Q. S. donec Syrupi violarum Caerulei colorem non immutet.

Dosis à scrupulo ad drachmam.

ACETAS PLUMBI LIQUIDUS.

(Extractum Saturni.)

Vide Praeparata ex Plumbo, pag. 367.

ACETAS FERRI LIQUIDUS.

(Vitriolum Liquidum ex Marte.)

Vide Praeparata ex Ferro, pág. 350.

MYRRHA LIQUIDA.

(Oleum Myrrhe per deliquium.)

℞. Ova quot volueris.

Coque ad duritiem, per medio transversim seca, et vitellos exime. Albuminum cavitates Myrrhâ pulverata reple: eorum medietates medietatibus adjuuge, filo leviter connecte, et sacco lineo immissas humido loco appende, ut in subjectum vas Myrrhae dissolutio defluat.

CAPUT XXXVIII.

SALIA.

SULPHAS ALUMINAE ACETATUS.

(Lapis Medicamentosus.)

℞. Sulphatis Ferri ad rubedinem calcinati uncias duas,